

CAA.



DISSERTATIO II.
DE
RESTITVTIONE FAMAE
PER VEXILLVM.

HABITA

REGIOMONTI A. D. XVI. MAH. A. MDCCXXX.

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS.

§. I.

FAMAM Deam, Terrae filiam, Poetae veteres dicebant. Nam *Famae notatio nominis et definitio.* quum inter Iouem et Gigantes, Titani ac Terrae filios, ob regni cupiditatem bellum esset exortum, iamque passim Terrae filii a Ioue ac ceteris Diis trucidarentur, percita nimio dolore Terra, quum sibi aduersus hostes tam potentes arma deessent, vlcisci tamen, quacunqve via posset, illatam sibi iniuriam cogitans, coacto vtero *Famam* enixa est, quae Superum scelera per orbem terrarum disseminaret. Hinc etiam *famam* a *fando* deriuant, quod per traduces linguarum et aurium peruagetur. *Stryk. de Iur. Sens. Disp. 3. c. 1. n. 44. conf. Virg. 4. Aeneid. v. 174. seqq.* Quodsi autem de homine *famae* vocabulum accipiat, est ex eorum numero, quae a *ICtis media* dicuntur